



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

4. S. Franciscus Seraphicus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

strato corpore distractiones, & negligentias, firmumque cum Maria ineamus pactum, nullam jam amplius transigendi diem sine recitatione S. Rosarii: Chare mi! Integræ horæ, dies, & noctes impenduntur vanitatibus, corpori, sæculo! Ah! & nec quadrans invenitur pro cultu Mariæ, & consolatione nostræ afflictæ animæ? Certè offendimus Matrem, quæ semper bona est hominibus, quia per Ipsam habent Redemptorem. Bona peccatoribus, quia per Ipsam consequuntur veniam. Bona Justis, quia per Mariam obtinent perseverantiam. S. Vinc. Ferr. Dicamus *Te Mariam laudamus &c.* applicando Hymnum SS. Ambrosii, & Augustini Nomini B. V.

**Festum S. Francisci Seraphici**  
 Familiæ Humillimæ Fundatoris celeberrimi.

**EXHORTATIUNCULA I.**

**U**Nde tam mirabilis sanctitas Francisco? Contemptu sæculi. Rejectis etiam vestibûs cessit omnia bona patri-



566 IV. Octobr. S. P. Francisci Seraph.

tri, ut cum veritate profiteri posset:  
*Pater noster, qui es in caelis.* O nos cer-  
ræ immerfos vermiculos! quando sur-  
sum tendemus? Quando in Patrem no-  
bis constituemus Deum? *Unus Deus est*  
*Pater omnium*, ad Eph. 4. *Seviat, quan-*  
*tum vult, Pater est. Sed afflixit nos!*  
*Sed contrivit nos: Pater est.* S. Aug.  
*Instructio meritoria.*

Non moremur Fili! Et ut Deum Pa-  
trem æternum, cœlum, ac beatorum  
gaudia cum S. Francisco plus æstime-  
mus, quàm cuncta transitoria, assuesca-  
mus hanc ipsam singulariter efflagitare  
gratiam, quoties mensam frequentamus  
angelicam. Tunc tempus acceptabile!  
Tunc dies propitiationis, & misericor-  
diæ! Pro renuntiatione mundanorum  
perfecta offeramus 34. *Pater & Ave*  
cum renovatione formulæ S. Professio-  
nis. *Consurreximus cum Christo!* quæ  
sursum sunt, quæramus, teneamus!

II.

**O** Quantum profuit S. Francisco amo-  
re Christi, reliquisse omnia! Inde  
enim orta est intima cum Deo unio, ami-  
cicia,



citia, & individua familiaritas. Hinc illa dulcedinis Verba : *Deus meus! & omnia!* Adeò est dulce, separari à sæculo, & paupertate conjungi Domino. Æquè beatus est, qui, cum nihil habeat, cupit nihil præter Deum, quàm qui habet omnia, quæ cupit extra eum.

*Instructio meritoria.*

Frustra, stultè, inaniter quietem quaerimus in rebus creatis : Ad Deum properemus ! Si hodie recreationi, refectio- ni, vel alteri honestæ interfuerimus rela- xationi, mentem elevemus, rectam in- tentionem innovemus, spiritualiter communicemus, Deique intimè nobis præsentis vivâ fide recordemur cum D. Augustini protestatione : *Jesu ! ubi es ? Tædeat me gaudere sine te ! delectet me abstinere, & multa pati pro te. No- men tuum mea refocillatio ! memoria tui mea unica consolatio.* In fine recrea- tionis recitemus psalmum *Miserere cum Laudate pueri Dominum.*

III.

**F**Inem amor nescit. Amavit Fran- ciscus : Sed plus Franciscum Chri- stus



§68 IV. Octobris. S. P. Francisci Seraph.  
stus Dominus, qui & sua prodigiosa  
amanti impresserat stigmata. Accurra-  
mus, fili! exosculemur! Nos, & totam  
Seraphicam Familiam intra eadem ab-  
scndamus! Gaudium magnum pro-  
diit in mundo, dum Fundator tanti or-  
dinis illuxit Ecclesiæ. O coelum! In ne-  
cessitatibus quando tua unquam nobis  
defuit providentia?

*Instructio meritoria.*

Nunquam defuisse, agnoscunt tot  
convulsæ hæreses; Contestantur tot re-  
giones, & provinciæ ad Christum con-  
versæ; profitentur & innumeri ad pœ-  
nitentiam reducti peccatores miseri. Id  
& nos agnoscamus, & in gratiarum acti-  
onem intonemus: *Confitemini Domino,*  
*quoniam bonus, quoniam in seculum*  
*misericordia ejus.* Jungamus & officii  
um minus de S. P. Francisco Seraphico  
pro totius Seraphicæ familiæ incremen-  
to. Hilarem Datorem diligit S. Fran-  
ciscus.

Festum